

Stultitia loquitur.

Utcumque de me vulgo mortales loquuntur, neque enim sum nescia, quam male audiat stultitia etiam apud stultissimos, tamen hanc esse, hanc inquam esse unam, quæ meo numine deos atque homines exhilaro, vel illud abunde magnum est argumentum, quod simul atque in hunc coetum frequentissimum dictura prodii, sic repente omnium vultus nova quadam atque insolita hilaritate enituerunt, sic subito frontem exporrexistis, sic læto quodam & amabili applausistis risu, ut mihi profecto, quotquot undique præsentis intueor, pariter deorum Homericorum nectare, non sine Nepenthe temulenti esse videamini, cum ante hac tristes ac solliciti sederitis, perinde quasi nuper e Trophonii specu reversi. Cæterum quemadmodum fieri consuevit, ut cum primum sol formosum illud & aureum os terris ostenderit, aut ubi post asperam hiemem, novum ver blandis aspirarit Favoniis, protinus nova rebus omnibus facies, novus color ac plane juvena quædam redeat, ita vobis me conspecta, mox alius accessit vultus. Itaque quod magni alioqui Rhetores, vix longa diuque meditata oratione possunt efficere, nempe ut molestas animi curas discutiant, id ego solo statim aspectu præstiti.